

TTT  
E

57





W 76

100/1

U

9/94 3

2m



DISPUTATIONES  
VARIORVM

De Asthmate

De Eius carniū humanarum, moralitate

De Studiosorum noxâ,

Medicina corporis,

Panaceæ

De regulis communicationis motus,

De Cervo læso in ventriculo sinistro cordis,

De labiis leporinis,

De lithiasi,

De Hydrope,

De Atrophia,

De glandulis in intestino duodeno detectis,

De glandula pituitaria,

Oratio funeb. Cysconii

De febribus in genere,

De Capitis affectionibus,

De Catalepsi,

De phthisi,

De Arthritide.



DISPVATIONES  
VARIORVM

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, covering the majority of the page.]*





2  
DISSERTATIO ACADEMICA

PRIMA.

DE

ESU  
CARNIUM HU-  
MANARUM EJUSQUE  
MORALITATE

QUAM

AUXILIANTE DEO O. M.

SUB PRÆSIDIO

JOH. LAURENTII CROLLII,

PHIL. D. EJUSDEMQUE ET G. L. P. O.

h. t. FACULT. PHILOSOPH.

DECANI ET C. S. P. P.

publicè defendet

LUDOVICUS HERMANNUS STUMPHIUS

Sobernhemio - Palatinus

ALUMNUS ELECTORALIS.

*Ad diem 23. Septembr. M. DC. LXXXII.*



HEIDELBERGÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII UNIVERS. Typogr.



V I R O

*Magnifico, Praestrenuo, Excellentissimo  
atque Amplissimo*

DN. FRIDERICO

PASTOIR,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTORIS  
PALATINI Vice-Cancellario & Consiliario Re-  
giminis Gravissimo, Splendidissimo.

NEC NON

V I R O

*Plurimum Reverendo, Clarissimo atque  
Excellentissimo*

DN. JOH. FRIDERI-

CO MIEGIO,

SS. Theologiae Doctori ejusdemque & Linguae San-  
ctae in Antiquissima ARCHI-PALATINA Universitate  
Professori longè Celeberrimo, Facultatis Theolog.  
h. t. Decano spectabilissimo,

*PATRONIS ET PROMOTORIBVS SVIS MAGNIS*

Hunc Philosophici Studii primum foetum  
devotâ mente & manu Spe perennaturi favoris SACRAT

TANTIS NOMINIBVS

*ad omnia obsequia aeternum obstrictus*

LUD. HERMANNUS STUMPHIUS.





Q. D. B. V.

C A P. I.

E X P O N E N S

*Historiam illorum, qui Carnes humanas comederunt inscii.*

I.



Commentaturi nonnulla de humanarum carni-  
 um esu, monemus nos intelligere illum,  
 quo homo hominis Carnes ori stomachoque  
 ingerit suo. Novimus equidem Bruta quæ-  
 dam etiam ob carni-um humanarum devora-  
 tionem ἀνθρωποφάγων nomen gerere: Ita memorant ex-  
 cerptæ à Photio ex Ctesia scriptis Indicis historiae. *Animal Indicum* (*Martichoram, Aristoteles Lib. II. G. A. Cap. I. Μαντι-  
 χώραν appellat*) facie hominem referens, leonis magnitudinem, Cin-  
 nabarum ruborem habens, Græcis ἀνθρωποφάγον ob hominum devora-  
 tionem dici. Μαρτιχώρα δὲ, inquit Photius ex Ctesia, ἐλληνιστὶ ἀν-  
 θρωποφάγον. ἔτι πλεῖστα ἐσθίει ἀναιρῶν ἀνθρώπων. ἐσθίει καὶ τὰ ἄλ-  
 λα ζῶα. *Martichora autem Græcis ἀνθρωποφάγον sonat. I. e. homi-  
 ni vorus, quod multos vorat, quos interfecerit. Sed & animalia cetera  
 vorat.* vid. Hist. ex Ctesia excerptas editionique secundæ He-  
 rodoti, quam operæ H. Stephani debemus, adjunctas, p. 680.

A 2

Sic



Sic etiam apud Athenæum Lib, VII. p.310. Archestratus Car-  
chariam piscem vocat ἀνθρωποφάγον.

Ἄλλ' ἔ πολλοὶ ἴσασι βροτῶν τῆδε θεῖον ἔδεσμα

οὐδ' ἔσθαι ἐθέλουσιν ὅσοι κέφαγγε λεβώδη

ψυχὴν κέκτηνται. Θνητῶν δ' εἰσὶν ἀπόπληκτοι

ὡς ἀνθρωποφάγος τῆ θηρίων ὄντ. ὅ. ἅπας δὲ

ἰχθύς σάρκα φιλεῖ βροτέαν, ἀντὶ περικύρσης.

*Non ita hominibus notum divinum hoc edulium:*

*Eo vesci recusant, quibus fatua & levis*

*Mens contigit, & qui stupidi sunt ac inter mortales attoniti.*

*Quia hominum carne pascatur hæc bellua: piscis enim*

*Quivis humanâ delectatus carne obvia sicubi sit.*

Sed hæc brutorum ἀνθρωποφαγία jam nobis curæ non est, ne-  
que enim in ea moralitas, quæ bonitati vel malitiæ morali patet,  
ulla esse potest.

II.

Fuisse autem homines hominum qui inscii devorârunt  
carnes, dubium illi esse non potest, qui suos per historiarum  
campos circumtulit oculos. Harpagum ab Astyage Medo-  
rum Rege, cujus amicus & arcanorum particeps erat, dece-  
ptum, paratas ex filii sui carnibus comédisse dapes, Herodotus  
Ethnicæ pater historiæ Libro I. refert. Ἀστυάγης δὲ, ὡς οἱ ἀ-  
πίκετο ὁ Ἀρπάγος παῖς, σφάξας αὐτὸν καὶ κατὰ μέλεα διελῶν,  
τὰ μὲν ὥπτησε, τὰ δὲ ἔψησε τῶν κρεῶν. Εὐτυχτα δὲ ποιησάμε-  
ν ὅ. εἶχε ἐτοῖμα. ἔπειτα δὲ τῆς ὥρης γινομένης ἰτὲ δείπνος, παρῆ-  
σαν οἷτε ἄλλοι δαιτυμόνες, καὶ ὁ Ἀρπάγος. Τοῖσι μὲν  
ἄλλοισι καὶ αὐτῷ Ἀστυάγει παρετιθέατο πράπεζα ἐπιπ-  
λέα μηλίων κρεῶν. Ἀρπάγῳ δὲ τῆ εἰς αὐτὸν παιδός, πλὴν τῆς κεφα-  
λῆς τε καὶ ἀκρων χειρῶν τε καὶ ποδῶν, τὰλλα πάντα. Ταῦτα,  
δὲ χωρὶς ἔκειτο ἐπὶ κανέῳ κατακεκαλυμμένα. Ὡς δὲ τῷ Ἀρπά-  
γῳ ἐδόκεε ἄλλοις ἔχειν τῆς βορῆς, Ἀστυάγης εἰρετόμιν εἰ ἤσθῃ τι  
τῆ θοινῆ. Φαμένος δὲ Ἀρπάγος ἠκάρτα ἤσθῃναι, παρέφερον τοῖ-

σι πρὸ



ει προσέκειτο τὴν κεφαλὴν τῆ παιδὸς κατακεκαλυμμένην, καὶ  
 τὰς χεῖρας καὶ τὰς πόδας. Ἄρπαγον δὲ ἐκέλευον προσάντες ἀ-  
 ποκαλύπτειν τε καὶ λαβεῖν τὸ βέλεται αὐτέων. Πειθόμενοι δὲ  
 ὁ Ἄρπαγος, καὶ ἀποκαλύπτων, ὄρᾳ τῆ παιδὸς τὰ λείμματα. Ἰ-  
 δὼν δὲ, ἔτε ἐξεπλάγη, ἐντὸς τε ἐωυτῆ γίνεται. Εἶρετο δὲ αὐτὸν ὁ  
 Ἄστυαγος ἢ γινώσκει ὅτευ θηρίῳ κρέα βεβρώκει. Ὁ δὲ καὶ γινώ-  
 σκειν ἔφη, καὶ ἀρεσὸν εἶναι πᾶν τὸ ἀν βασιλεὺς ἐρδοί.  
 Τῆτοισι δὲ ἀμειψάμενοι, καὶ ἀναλαβὼν τὰ λοιπὰ τῶν κρε-  
 ῶν ἦε ἐς τὰ οἰκία. Ἐνθεῦτεν δὲ ἐμελλε (ὡς ἐγὼ δοκέω) αἰλίσας  
 θάψειν τὰ πάντα. *Ejus porro filium, ubi advenit, Astyages ju-  
 gulatum & in frusta concisum partim torruit, partim elixavit &  
 probè conditum, paratum habuit. Dehinc sub horam cena post-  
 quam adfuerunt cum ceteri cenivna, tum verò Harpagus, con-  
 vivis quidem aliis atque ipsi Astyagi mensa appositæ sunt ovillæ re-  
 fertæ carne: Harpago autem, præter caput & manus extremas ac  
 pedes, reliquis filii sui partibus. Nam illa in canistro operta, sepa-  
 ratim reposita erant. Eum autem postquam satis depastum illo cibo  
 putavit Astyages, interrogat nunquid sit illis oblectatus epulis? Se  
 verò valde oblectatum dicenti HARPAGO, ii quibus negotium  
 erat datum, adferunt caput filii cum extremis manibus ac pedibus  
 relictum: & adstantes jubent detegere, ac sumere quod vellet ex eis  
 Harpagus obtemperans, ubi detexit, cernit reliquias filii. Non  
 tamen eo spectaculo consternatus est, sed apud se ipsum mansit. Et  
 percontanti Astyagi nunquid agnosceret cujus fera carne pastus esset,  
 se agnoscere respondit: sibi que quicquid Rex ageret, placere. Hoc  
 reddito Responso, receptisque reliquiis Carnium domum abiit,  
 eas (ut ego opinor) illinc collectas humaturus. Hæc Herodo-  
 tus, qui Astyagem Harpago observatum Cyrum epulas haf-  
 ce apposuisse refert. Justinus Lib. 1. cap. V. earundem e-  
 pularum facit mentionem: ubi tamen quod annorum fuerit  
 Harpago Filius, non memorat, quod Herodotus non reticens  
 ἑλέα Ἰρία καὶ δέκακις μά'λις α γεγονότα tredecim circiter annos  
 natum*



natum scribit. Addit idem Herodotus fuisse filium *ἕνα μόνον* unicum, quod Justini etiam indicio discimus, quando Cap. cit. Harpagum *orbitatis dolore admonitum*, CYRO capessendi in Persas & Medos imperii suasorem fuisse ait.

III.

Factum certè crudelitate horrendum, quo puer spes unica domûs periit, nihil parentibus nisi magnum relinquens orbitatis dolorem. Non desunt hîc, qui tantæ crudelitatis Auctorem Astyagem fuisse negant, totumque hoc, quod de mactatione Filii Harpago dictum; *figmentorum* adscribunt *Catalogo*. Causantur, Xenophonte teste, *Astyagem amicissimum fuisse Cyro*. Ctesiam item narrare *Astyagem inter & Cyrum nullam propinquitatis intercessisse copulam*. Et certè Zonaras Tom. I. Annalium p. m. 25. *Cyrum Persarum institutis educatum in Virum fortissimum modestissimum, cordatum & justissimum evasisse tradit*. Quæ si vera sunt, quomodo salvâ veritate dici potest, *Cyrum infantem Harpago ab Astyage occidendum traditum, Harpagumque obneglectum cædis ministerium, Astyagis expertum*, quam narravimus, *crudelitatem*. Sed mihi jam propositum non est dicere multa de fide Herodoti Historica. Agant de eâ illi, quos propiùs studii Historici cura tangit. Illud tantùm dico: Constans magnorum quorundam Virorum assertum esse, Herodotum *veritatis studiosum* admodum fuisse. Degoreus Whear in Method. leg. Hist. Sect. VIII. p. 72. *totum Historia corpus singulari fide & diligenti veritatis studio Herodotum coagmentasse* scribit. Celeberrimus Conringius in Epist. quâ Henrico Meibomio sua de Asiæ & Ægypti antiquissimis Dynastiis Adversaria Chronologica inscripsit, sequentia scribit: *Perstat enim verò sententia, Herodotum præ aliis Grecis in barbararum gentium rebus sequendum, & per summam injuriam historia illum Græcæ patrem vulgò exhibitari*. De Xenophon-



phonte verò eruditorum hoc est iudicium. *Praediam* Cyri ipsum magis ad exemplum vite, quam ad rerum fidem scripsisse. Lipsius in not. ad 1. Politic. Cap. IX. Wichmannus in Auctuario Chronologiae sacrae Decade prima Q. VIII. p. 101. inquit: Xenophontem in libris, quos παιδείαν κύρου inscribit, multa ficta aliisque Historiographis adversa miscuisse: & Q. IX. ejusdem Dec. p. 103. inquit: Xenophontem in Libris, quos παιδείαν Cyri inscribit, non omnia ad historiae fidem regulasse statuunt. Addit rationem. Cum enim Xenophon in praefatis libris totus versetur in Cyri laudibus, illa omisit, quae quoque modo huic suo instituto officere posse videbantur: Hinc silentio praetermittit is, quod alii Historiographi, Herodotus, Justinus narrant de Astyagis erga Cyrum machinatione & quomodo Cyrus singulari Dei gubernatione eam effugit, & post modum Astyagi quodammodo rependit, dum ipsum & Persarum & Medorum regno exiit. Idem iudicium ante hodie Xenophonte CICERO L. I. Ep. 1. ad Quintum Fratrem pronuntiavit: Cyrus ille, inquit, à Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii. Ad Ctesiam Cnidium quod attinet, constat Auctorem esse, de quo plures non adeò benè opinantur. Aristoteles L. 2. de Generat. Animal. c. 2. Virum φανερόν ἐψευσμένον. Lib. 8. Hist. Animal. c. 28. Virum ἄξιόπιστον. Strabo apud Königium in Bibliotheca, Vet. & Nov. Tutius esse, inquit, Homero & Hesiodo fidem adhibere quam de Heroibus verba faciunt, quam Ctesia. Quo elogio Josephus Scaliger ipsum maectaverit, vide apud Degorem Whear in Meth. leg. hist. Sect. VII. p. 60. Marshamus in Canone Chronico jam Ctesiam Commentorum postulat 507. jam tradidisse ait à veritate prorsus aliena & cum S. Literis repugnantia, p. 526. jam magnam Ctesia esse vanitatem, eumque immensam emenditum vetustatem scribit p. 588. Addendum tamen & hoc, opera ejus si integra nobis inspicere liceret, accuratius judicari posse, quan-



quantum ab Herodoto dissentiat. De Zonara, ut alia jam taceam, dico ipsum ex Xenophonte suum irrigasse pratum, majoremque in eo nonnullos desiderare diligentiam.

IV.

De Thyeste Pelopis Filio memoria est, quod à Fratre Atreo in convivio appositas è filiorum carnibus mensas comederit. Abstulerat Thyestes non tantum Fratri, uti Auctores referunt, aurei velleris agnum (*phialam auream, habentem in medio agni imaginem*) fuisse apud Athenæum Deipnophist. Lib. X. tradit Herodorus Heracleotes) sed & ejus in super uxorem Aëropen ad ulterio contaminârat. Irritatus hâc injuriâ admodum Atreus vindictâ meditatur, Fratrique in convivium accersito coctas mactatorum filiorum apponit carnes. Thyestes Atrei faciem, non parantem mala mentem, intuens, funestis hisce se exsatiat dapibus, quod ubi factum, liberorum capita, manus, pedesque produxit Atreus ostenditque Thyesten liberorum suorum carnibus stomachum, se verò vindictâ non nihil animum explêsse suum.

V.

Referunt ferales hasce epulas Veterum plures. Pausanias, quem Cl. Bœclerus in Commentatione de Scriptoribus Græcis & Latinis p. 67. *Verum reliquisse* judicat *posteris omnis Antiquitatis Græcæ Thesaurum, multa eruditione & diligentia consignatum*, illas in Corinthiacis enarrat hoc modo: ἐν δὲ τῇ Ἀργείᾳ προελθόντων ὀλίγων ἀπὸ τῶν ἡρώων Ἰστέου, θυέστης ἰάφου ἐστὶν ἐν δεξιᾷ. λίθος δὲ ἐπέσειν αὐτῷ κριός, ὅτι τὴν ἀρναὶ ὁ θυέστης ἔσχε τὴν χρυσῆν, μοιχέυσας Ἰστέου ἀδελφῶν τὴν γυναῖκα. Ἀργεῖα δὲ οὐκ ἐπέσχευεν ὁ λογισμὸς μετρήσαι τὴν ἴσην, ἀλλὰ τῶν θυέστης παίδων σφαγὰς καὶ τὰ ἀδόμηνα δειπῶνα ἐξειργάσατο. In Latinum convertit sermonem Romulus Amasæus. *At in Argivorum finibus, qui paululum à Persei monumento progressi fuerint, ad dexteram*  
Thy-



*Thyesta sepulchrum videant, cui aries è marmore impositus est. Au-  
rei enim velleris agnum Fratri Thyestes subripuit, cum ejus uxo-  
rem stupri consuetudine sibi conciliasset. Atreus verò nullà potuit  
adduci ratione, ut par duntaxat parire ferret: Verum illius liberum  
eade & decantatis in scenaepulis, pœnas à fratre expetivit. Le-  
guntur etiam apud Suidam. Expositurus enim illud, quod in  
Proverbio erat, Ἀτρέως ὄμματα. dicit: ὄιον ἄτρεπτα καὶ σκληρὰ; ἐι-  
ρηται δὲ ἀπὸ τῆς Ἀτρέως ὀδονομίας. Ὁ δὲ Ἐπιγονήλας ἐκ διαβολῆς τὸν ἁ-  
δελφὸν θυέστην μοιχέυειν Ἀερόπην τὴν γυναῖκα αὐτῆς, τὰ τέκνα τῆς θυέστης συγ-  
κόφας καὶ ἐψήλας, δειπνῶντι παρέθηκε τῷ πατρὶ, αἰδοῦσιν ὀδονομίας τῆς  
συμφορᾶς, ἐκ τῆς τελευταίας τὰ ἄκρα ὀδονομίας. Atrei Oculi. (In-  
terpretatio Æmilii Porti est.) Idem est ac si diceret, immoti &  
duri. Torvus & truculentus aspectus. Hoc autem dictum est ab  
Atrei scelere, qui propter criminationem suspicatus Thyesten fra-  
trem, rem habere cum uxore sua Aërope, Filios Thyesta concisos &  
coctos, patri in cœna epulandos apposuit, cujus calamitatis sensum  
ipsi præbuit, & effecit, ut Pater suam calamitatem intelligeret,  
quòd extrema puerorum membra patri tandem apposuisset.*

VI.

Suppeditârunt etiam hæ epulæ, & Poëtarum carminibus & prover-  
bio materiam. Loquuntur de illis Ovidius, Horatius in arte Poëtica,  
Persius, Martialis. Senecæ etiam Tragædiam de *Thyeste* impleverunt. De  
numero autem filiorum, quorum carnibus coctis mensas suas onerâsse  
dicitur Atreus, non una Auctorum sententia est. *Tres fuisse* Farnabius  
in notis ad Senecæ *Thyesten* dicit: pag. 99. Editionis Gronovianæ.  
*Duos, quos Aërope Atrei uxor à Thyeste corrupta pepererit*, Cl. Hoffmannus  
in Lexico Univ. recenset. Minellius in notis ad Horatii Artem Poëticam:  
*Thyesta filium Plisthenem occisum & coctum, ei manducandum appositum* scri-  
bit ad versum istum:

*Dignum carminibus narrari Cœna Thyestæ.  
Idem repetit illustraturus versum ejusdem Horatii  
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.*

B

*Pelos*



*Pelopsis filius (Atreus) sceleratus membra Plifthenis fratris filii, coram populo non coquat. Sed Hyginus Tantalum & Plifthenem occisos & epulandos Thyestæ appositos Cap. LXXXVIII. tradit, quanquam etiam Cap. CCLVIII. Unius tantum meminit. Pausanias verò & Suidas multitudinis numero utuntur: Ille παίδων. Hic τέκνων mentionem facit. Hos sequuntur Reinerus Reineccius in Familiis Regum Mycenæorum p. 86. & 87. & Alstedius Encyclopædiæ Historiæ Cap. XVI. n. V. p. 2037.*

VII.

Hæc de mensa Thyestea. Tereum etiam, filii sui occisi carnes comedisse, memoriæ proditum est. Hunc *Philomela*, uxoris suæ *Procnes*, quæ Pandionis, Regis Atheniensium filia erat, Sorori, contemptis Græcorum legibus, vitium intulisse & puella insuper corpus ferro violasse, atque adeo mulieres ad sceleris poenam expetendam provocasse Pausanias in Atticis enarrat. In Phocicis verò ait mulieres (*Procnen* puta & *Philomelam*) vindicturas injuriam *Terei Filium* (*Ithys* appellabatur) interemisse & dapibus immistum epulandum apposuisse. Pluribus Verbis Lactantius placidus, aliis Lutatius dictus, in argumentis *Metamorphoseon* Ovidii hanc rem eloquitur, ubi etiam μεταμορφωσιν *Procnes* in hirundinem, *Philomelæ* in *lusciniam*, *Terei* in *Epopem*, & *Ithyos* in *Phasianum* exhibet. Hanc nec Pausaniastacuit, fabulam tamen ab historiâ discernens, illam ex eo ortam existimat, quòd mulieres (*Procne* & *Philomela*) quum *Athenas* confugissent præ luctu & mœrore, ob ea, quæ & passæ fuerant, & fecerant, contabuerint, atque adeo utriusque avis miserabiles & luctuosos ediderint cantus. Sic etiam *Natalis Comes* Lib. VII. *Mythologiæ* Cap. X. historiam de *Terei* libidine & *Procnes* cæde, in filio patratâ, à veritate non dissentire scribit, rejectâ inter fabulas istâ Poëtis decantatâ μεταμορφώσει.

VIII.

Fuisse etiam Regem, crudis, qui uxoris suæ carnibus, gulam impleverit, *Xanthum* in *Lydiacis* narrare, *Athenæus* Lib. X. scribit. Ζάνθου δὲ, inquit, ἐν τοῖς Λυδιακοῖς, κάμβλητα φησὶ τὸν βασιλεύσαντα Λυδῶν πολυφάγον γενέσθαι καὶ πολυπότην, ἔτι δὲ γαστρίμαργον. Τῆτον ἐν ποτὲ νυκτὸς τὴν ἑαυτῆς γυκαῖκα κατακρεουργήσαντα καταφαγεῖν. Ἐπειτα πρῶτὶ εὗροντο τὴν χεῖρα τῆς γυναικὸς ἐνῆσαν ἐν τῷ σώματι, ἑαυτὸν ἀποσφάζει περὶβοήτῃ τῆς προῖξως γενομένης. *Xanthus* in *Lydiacis* narrat *Cambleta* *Lydorum* olim Regem, edacem, bibacem, gulosum fuisse, nocturne uxorem suam in frusta dissectam vorasse: deinde castino mane, reperta conjugis manū, quæ ad ejus os hæ-



os haeserat, re cognita & in vulgus sparsa, seipsum jugulasse. Ferunt Cani-  
blitam magicis artibus furori immersum, in uxorem ita saevisse, quod si ita, erit  
& hoc exemplum hominis, inscius, humanam qui comedit carnem. Fu-  
riosus enim JurisConsultis, ignorantis, eique, qui nec suus est, nec scit,  
quid agat, nec sensum habet ullum, æquiparatur. Arnisaus de jure  
Connub. Cap. III. §. 2.

IX.

Veniamus nunc ad recentioris ævi historias atque ex illis deproma-  
mus hominum, qui ignorantes carnes humanas comederunt, exemplum.  
Repræsentat hoc obsidio Neapolitana. In hac milites ex esu carniū humana-  
rum luena contraxisse veneream, Antonius le Grand in Historia Naturali ani-  
malium Articulo X. n. II. refert. Adscribam ejus verba, ne sine teste lo-  
quar. Morbus, inquit, quem passim Gallicum vocant, in Neapolitanâ obsidione  
initium accepit, cum antea ignotus esset, & non nisi Indis & Canibalis familiaris.  
Causam tam fædæ ac diræ luæ, Galli in quosdam mercatores referunt, qui ex Man-  
ritania, mercibus vendendis ad obsidionem appulsi, carnem hominum nuper inter-  
fectorum sale conditam, loco Thunnorum, seu porcorum marinorum pretio commu-  
tabant. Quo cibo milites pasti, morbum illum contraxere, qui postea con-  
tagione irrepit & mulieres, quibus cum congregiebantur, infecit. Nec Gallo-  
rum ratio à vero dissentit, quum manifestum sit Canibalos, qui carne humanâ  
vescuntur, hoc morbo maximè affligi, atque etiam Indos, cum primum dete-  
cti sunt, venerea luæ infectos esse. Quod caro humana fædos & graves vapores  
generet, quibus appetitum caput vitiat, & cerebri fibrarum plexus corrumpi-  
tur. Huc usque Antonius le Grand, cujus fide nitor.

C A P V T II.

EXPENDENS

*Num aliqua in isto carniū humanarum esu, cu-  
jus exempla exhibuimus, sit moralitas.*

I.

**C**Arnes humanas ab hominibus comestas exemplorum docuit recen-  
sus. Nunc crimine aliquo an involutus fuerit esus iste, dispiciendum.



Illud autem constat, singulos ferè, quos capitè primo repræsentavimus, ignorantes carnes comedisse humanas atque adeò aliquam facti in ipsis fuisse ignorantiam. Cæterùm, cùm nec ignorantia facti unius generis, nec omnis συγγνώμης αἰξία sit, inquirendum omninò cujus generis illa fuerit, quæ eorum, de quibus judicandum est, insederit animo, Hoc enim definito, facilè deinde nobis erit, an ipsorum ἀνθρωποφασία à crimine remota fuerit nec ne, pronunciare.

II.

Ab Harpago itaque incipiemus. In hoc duplicem notamus ignorantiam. Alterâ carnes humanas: alterâ carnes Filii sui manfas se deglutiisse nescivit. Neutram excutere potuit: neutram etiam suo sibi accersivit jumento. Habuit equidem Harpagus mentem, quâ & carnes humanas cognoscere, easque ab aliis discernere potuit, sed illa, tum, quum carnes humanas comederet, in cognitionis & discretionis actum exire prohibebatur. Etenim, ut testis est Herodotus, frustra carniū ex filio desumptarum benè parata Harpago apposuit Astyages. *Ευτυχῶς δὲ ποιήσομεν*, εἶχε ἐτοῖμα, τὰ μέλεα nempe, τῶν κρεῶν. Hoc est, ut Suidas interpretatur, καλῶς κατασκευασμένοι, egregiè confecta vel cū hac benè parasset, ut exponit Amylius Portus in Lexico Jonico. Quo factum, ut & carniū istarum ita conditarum edulia in gustūs organo non excitaverint ejusmodi motum, ex quo mens saporem carnis humanæ dignoscere potuerit. Nec potuit Filii sui sese vesci carnibus scire Harpagus. Miserat equidem Ὁδὸς τὸν παῖδα τὸν νεήλυδα, ad puerum, qui recens venerat, Filium unicum, Astyagis jussa prompto ut veneraretur obsequio, sed ex missione hâc, cui præter spem maectatio filii atrox accidit, periculum hario-lari non potuit imminens. Affirmârat Astyages Harpago gratam sibi esse Nepotis conservationem: ὡς ὠείεσι τε ὁ παῖς καὶ τὸ γεγονός εἶχει καλῶς. Τῷ τε γὰρ πεποιημένῳ (ἰέφη λέγων) ἐς τὸν παῖδα τῆτον ἔκαμνον μεγάλως, καὶ θυγατρὶ τῆ ἐμῆ διαβεβλημένῳ, ἐκ ἐν ἐλαφρῶ ἐποιεύμην. Ως ὦν τῆς τύχης εἰ μετεσεώσης, τῆτον μὲν, τὸν σεωῦτῃ παῖδα ἀπόπεμψον Ὁδὸς τὸν παῖδα τὸν νεήλυδα. Quod puer benè vivit, & quod accidit, benè habet. De eo enim (inquit) quod in hunc puerum factum erat, valdè laborabam & à filia mea insimulatus, hand leviter ferebam. Igitur in bonum conversâ fortunâ, filium tuum mitte ad puerum hunc, qui recens venit. Jusserrat insuper interesset cœnæ, futurus testis pietatis, quam sacrificando Diis pro recepto filio, probaturum se dicebat. Hæc omnia & singula faventis & amici sibi Regis occurrebant.



rebant argumenta, nec inde, quæ mente premebat cocta in Filii necem consilia, intelligendo adsequi potuit.

III.

Unum tamen hîc est, quod argumento esse videtur, non omninò invitum comedisse carnes filii sui Harpagum. Etenim, quum intellexit carnibus se sobolis unicæ pastum, nulla doloris edidit indicia, sed *percontanti Astyagi, nunquid agnosceret, cuius fere carne pastus esset, se agnoscere respondit καὶ ἄρ' ἔστιν εἶναι πᾶν τὸ ἀν βασιλεὺς ἔρδοι, sibi que, quicquid Rex ageret, placere.* Quo responso, consensu suo factum jam esum funestum ad probâsse videtur, qui morali æstimatione factâ, quasi ante esum adfuisset, censetur. Sed hoc nondum ostendere valet, *ἀνθρωποφάγιαν Harpagi fuisse voluntariam.* Esus certè filii detectus, fuit ipsi *λυπηρὸς καὶ ἐν μεταμέλειᾳ*, hoc est, implevit ipsum dolore & penitentiâ: Sed ad præsens dolore dissimulato, odium Regis in vindictâ occasionem distulit, teste Justino Lib. I. Cap. VI. n. 3. Nempe sophisma quorundam est, premere corde, quem aliorum impressit injuria, non promere statim dolorem, ne crabrones irritent, majusque sibi accelerent malum, aut occasionem dolorem pro dolore reponendi sibi ipsis præripiant. Quum itaque carnes filii sui mactati sibi comedendas apponi, scire non potuerit infelix Harpagus, nec eas, si scivisset, comedisset: quum prætereà errore cognito dolore repletus fuerit, concludimus fuisse in eo, *facti ignorantiam*, quam Scholæ Ethicæ *invincibilem*, eamque *ἐπίλυπον* adpellant, nec humanarum esum carniū, nec esum filii, ut talis est, appellandum actum humanum, in quo aliâs moralitatis sedes est.

IV.

Ad Thyestæ nunc progredimur, quas comedit, dapes. Instruxerat hæc non sine scelere nefando Atreus, at Thyestes epulando nullum designavit crimen. Nescius enim comedit, diri Fratris dolo circumventus, quem in *abstrusis animi recessibus enatum & absconditum* apprehendere nullus potuit, eâ etiam, *quam communis rerum humanarum admittit conditio*, adhibitâ industriâ. Ab exilio in regnum revocatus, Atrei dextræ dextram instauratæ amicitiae symbolum junxerat: unde nec Fratrem in filiis innocentibus tantum auferum scelus, nec sibi ex horum carnibus paraturum menfas, indicium potuit discere ullis. Accedit, quòd, ubi capitibus & manibus filiorum ostensis, quas dapes absumsisset, cognosceret, *maximo*



*immersus fuerit dolori, quo impulsus de occasione vindictam sumendi sollicitus fuit, quam etiam obtinuit, sed scelere scelus pensando, quod Poëtarum implevit scenas, sed non sine ejus dedecore.*

V.

Ad Thereum quod attinet, & huic condendi in Viscera sua filii carnes ignorantia causa omninò fuit. Nec potuit scire per dolum filii, aliis absconditas carnibus, carnes appositas. Solent aliàs Matres tenero affectu complecti liberos, secundum illud Menandri:

Εσι δὲ μήτηρ φιλότεκνον μᾶλλον πατρὸς

Ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱόν, ὃ δῖεται

Mater suos ardentius patre diligit:

Namque illa proprios esse novit, credit hic:

At verò impia Ithyos mater, à matris officio deficiens, bonæ matris laudem perdidit, quando cæde nefaria, in carnem, in sanguinem suum sævit. Foverat filium utero suo: intelligebat ipsum imperii posse esse firmamentum, quo & ipsa sustentaretur: Quomodo itaque tantæ crudelitatis opus Procnen patraturam Thereus sperare potuit, quem deinceps scelus uxoris crudelissimæ cognitum in gravissimum conjecit mœrorem?

VI.

De Camblita non uno judicandum est modo. Referunt nonnulli, ut dictum supra *magicis ipsum artibus in furorem datum, facinus, quod retulimus, patrafse, veneficiique auctorem fuisse* Jardanum, Omphalæ, Lydorum Reginae patrem. *Ipsam se veneficiis appetitum credens, (refert hæc Marshamus in Canone Chronico p. 534. ex Nicol. Damasc. Excerptis Peiresci:) in foro confertissimo stans stricto gladio, Jupiter, inquit, si mea sponte id facinus feci, ipse mei sceleris dem panas: Sin Veneficiis appetitus, in veneficos recidat poena. His dictis, in conspectu omnium semet interfecit: alius, ut belluonem, ridentibus: alius, ut mentis compotem, miserantibus. Suspiciabantur autem Jardanum, ob inimicitias, quas cum Camblita exercuerat, maleficii auctorem fuisse.* Hoc si ita fuit, non suo, sed alieno scelere occidit & comedit uxorem. Non enim ipse sibi intulit mentis alienationem, sed Jardanus veneficii ope mentem ejus profundo quasi oppressit lethargo, spissasque ignorantia nebulas intellectui offudit, adeoque *ignorantia in externum refundi debet principium.* Quod si verò non veneficiis ista debetur crudelitas, sed ebriositati & voracitati lupinæ, tum à crimine Camblites absolvi non potest. Etsi enim, ut Cl. Rache-



Rachelii verba, quæ Disput. II. de *Actionum Moral. Principio* §. XVIII. leguntur, non nihil immutata, mea faciam, *ignorans egit, ipse tamen sua ignorantia causa fuit, quod suâ negligentia, culpâ ac perversitate voracitati & ebriofitati se totum tradidit.* Ex vero scribit Hugo Grotius Lib. II. de jure Belli & Pacis cap. 17. n. 18. *Involuntarium, ex voluntario ortum trahens, moraliter pro voluntario habetur.*

VII.

Supereft, ut quid sentiam de carniū humanarum esu à *militibus in obsidione Neapolitanâ* facto, edifferâ. Imposuisse hisce Mercatorum, qui ex Mauritaniâ venientes interfectorum hominum carnes advexerant, fraudulentiam, refertur. Dixerant enim *porcorum marinorum carnes* esse, quas hominum esse sciebant, atque adeo effecere, emptores ut aliquam ignorant circumstantiam. Nec poterant tum quidem dolum deprehendere, quando quidem *carnibus sale conditis eam induxerunt faciem, ut humanas esse, non apparuerit.* Detecta autem postmodum fuit fraus, ubi esum carnis illius *luem peperisse veneream*, innotuit. Unde etiam, si hanc scivissent circumstantiam, emtione abstinnissent, utpote *equorum forte aut aliorum brutorum carnis non destituti.* Et carnes humanas pretio parare tunc non opus fuisse credo, quando cæsorū in obsidione cadavera copiam earum suppeditarunt, ut *adeo pateat & hujus esus ignorantiam unice fuisse causam, nec in eo moralitati locum adari.* Hæc de illis, qui *in scii carnes consumpere humanas.* Illorum verò esus, quo nonnulli *scientes atque volentes, & quidem vel extra casum, vel in casu necessitatis,* easdem abligurivere, aliis materiam dabit meletematibus.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

**H**æc consequentia: Deus est id, quo perfectius cogitari non potest, Ergo existit: *valida admodum est.*

2.

*Vnius Dei tantum habemus ideam innatam.*

3.

*Ante mundum conditum nullum fuit tempus.*

4. *Acci-*



4.  
*Accidens quod actu est, actu etiam subjecto inhaeret.*

5.  
*Mens humana subsistit & non subsistit per se.*

6.  
*In hoc Syllogismo :*  
*Homo est vox dissyllaba*  
*Mulier non est vox dissyllaba. E.*  
*Mulier non est homo.*


*Nullus nervus, nullumve vitium est.*

7.  
*Omnis ignis fluidus est: sed non omnis lucidus.*

8.  
*Non omne delictum in foro humano puniri potest.*

9.  
*Rectè Hugo Grotius, Lib. I. Cap. III. §. XXI. n. 2. de I. B. & P. dicit:*  
*Libertatem civilem sine summo imperio intelligi non posse.*

10.  
*Et in Aristocratiis & in Democratiis datur Majestas.*



**N**on jam conveniunt certè sua nomina rebus:  
*Stumphius es solo nomine, réque sagax.*

*Sæpius ostensum hoc, acris sapientia mentis*

*Quando te raras promere sensit opes.*

*Nunc iterum ostendis: Bene! Sic industria verè*

*Acris, non minimi gignet honoris opes.*

*Paucis hisce  
Domini Respondentis  
Felices in studiis progressus commendat*

**PRÆSES.**





AB: 155451

ULB Halle 3  
003 487 253




sb.


VD 77











DISSERTATIO ACADEMICA  
PRIMA.  
DE  
E S U  
CARNIUM HU-  
MANARUM EJUSQUE  
MORALITATE

QUAM  
AUXILIANTE DEO O. M.  
SUB PRÆSIDIO  
JOH. LAURENTII CROLLII,  
PHIL. D. EJUSDEMQUE ET G. L. P. O.  
h. t. FACULT. PHILOSOPH.  
DECANI ET C. S. P. P.  
publicè defendet  
LUDOVICUS HERMANNUS STUMPHIUS  
Sobernhemio - Palatinus  
ALUMNUS ELECTORALIS.  
*Ad diem 23. Septembr. M. DC. LXXXII.*



HEIDELBERGÆ,  
Literis SAMUELIS AMMONII UNIVERS. Typogr.